

TITULUS VII. De Translatione Episcoporum.

1. CUM juxta Innocentium III. c. 4. de transi. Episcop. spirituale sacros conjugii, quod est inter Episcopum, & Ecclesiam, in electione initiatum, in confirmatione ratum, in consecratione intelligatur consummatum: translationes aut potius transmigrationes Episcoporum de una Ecclesia ad aliam, & Patribus antiquis, & recentioribus Pontificibus semper visa sunt esse species quaedam adulterii spiritualis, adeoque quantum est de se, semper vitatae.

Quantum ad 1. p. Episcopi Concilii Aegyptiaci apud S. Athanasium Apologia 2. dum verba faciunt de Eusebio, qui à Berithensi Ecclesia transliterat ad Nicomediensem, & ab hac rursus migravit ad Constantinopolitanam, ita fatur: *Non habens pra oculis illud praeceptum, alligatus est uxori, ne quere solutionem. Quod si hoc de uxore dictum est, quanto magis de Ecclesia, atque adeo de Episcopatu, cui cum quis alligatus est, alium quere non debet, ne adulter in Sacris Literis deprehendatur.* Junge Capitula hujus Tituli.

Quantum ad secundam Canon 13. Apostolorum ita habet: Episcopo, qui Parochiam suam dereliquerit, alteri insillire nefas esto, licet à pluribus ad hoc compellatur: nisi rationabili aliqua causa subsistat, quae hoc ipsum facere vi adigat; nempe quod plus lucri & utilitatis his, qui illic constituti sunt, verbo pietatis conferre possit: neque hoc tamen à seipso, sed multorum Episcoporum judicio, & exhortatione maxima. Et Canon 15. Concilii Niceni sic: Propter multum tumultum, & seditiones, quae sunt, omnino visum est, ut consuetudo, quae praeter Canonem, in nonnullis partibus in-

venitur, tollatur; ut à Civitate in Civitatem nec Presbyter, nec Diaconus transeat. Si quis autem post Sanctae & Magnae Synodi definitionem tale quippiam aggressus fuerit, vel se rei ejusmodi dederit, quod factum erit, omnino reformabitur, & Ecclesiae restituetur, cui Episcopus, vel Presbyter ordinatus fuerit. Ex quibus Canonibus liquet, quam aegre Ecclesia ab ipsis incurvabilis translationes non tantum Episcoporum, sed etiam inferioris Ordinis Ministrorum tulerit; & quam serio res ista non tantum ex parte transferentium, sed etiam transferendorum tractata fuerit.

2. Causa praecipua, cur Patres translationes, seu potius transmigrationes Episcoporum, aliorumque Ecclesiae Ministrorum tam aegre tulerint, fuit fundata suspicio intercurrentis vel ambitionis, vel avaritiae: unde etiam minus canonice translatos gravissimis poenis plectendos decrevere.

Quantum ad 1. p. in Sardicensi Concilio A. 347. Canone 1. Osius Praeses Concilii dixit: Non minus mala consuetudo, quam periculosa corruptela funditus eradicanda est: ne cui liceat Episcopo de Civitate sua ad aliam transire Civitatem. Deinde hujus corruptelae rationem notandam subjicit: *Manifesta est causa, quae hoc facere tentant: cum nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de majori in minorem transfret; unde apparet avaritiae ardore eos inflammari, & ambitioni servire, & ut dominationem agant.*

Pro parte 2. subdit: *Si omnibus placeat, hujusmodi pernicies ferius, & austerius vindicetur, ut ne laicam communionem habeat, qui talis est. Respondent universi. Placet. Et Canone II. prosequi-*

sequitur idem Osius: *Etiamsi talis aliquis exsiterit temerarius, ut fortassis excusationem afferens assereret, quod Populi literas acceperit, cum manifestum sit, potuisse paucos premio, & mercede corrumpere eos, qui sinceram fidem non habent, ut clamarent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopum, omnino has fraudes damnandas esse arbitrator; ita ut nec laicam communionem in sine talis accipiat. Si vobis omnibus placeat, statuite. Synodus respondit: Placet.*

3. Nunquam tamen in Ecclesia translationes Episcoporum vel aliorum Ecclesiae Ministrorum simpliciter sunt prohibita.

Id innuat aperte Canon Apostolicus 13. & Nicenus 15. N. 1. relati. Ex quibus doctissimus Thomassinus de Vet. & Nova Eccl. discipl. de Benef. p. 2. lib. 2. c. 61. N. 4. probabile existimat, Patres Concilii Antiocheni A. 341. partium studio, quam Fidei Catholice zelo fuisse ardentes, dum traslationes Episcoporum Canone 21. simpliciter damnavant his verbis: *Episcopus ab alia Parochia in aliam ne transeat, nec se sua sponte ingerens, nec à Populis vi adactus, nec ab Episcopo coactus: maneat autem in ea, quam à DEO sortitus est, Ecclesia, & ab ea non recedat, secundum decretum prius de ea re editum.*

4. Nihilominus non fiebant translationes, nisi gravissimis de causis, & maxima cum deliberatione, ac judicio. N. 1. h. t. N. 5. & seqq.

5. Ad canonicam igitur Episcopi, vel alterius Ecclesiae Ministri translationem, sicut nunc, ita jam in primitiva Ecclesia requirebatur gravis necessitas, & utilitas Ecclesiae; & longe abfuit, ut transferendus translationem sui peteret.

Primum propositionis membrum ipsis verbis innuit Canon Apostolicus 13. est apocryphus, Ecclesiae primitivae disciplinam nihilominus referens (tit. 2. N. 26. &c.); facit insuper hanc in rem Canon 27. Synodi Carthagenensis A. 398. ubi

habetur: *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis Clericus: sane si utilitas Ecclesiae sciendum poposcit, decreto pro eo Clericorum, & Laicorum Episcopis porrecto, in presentia Synodi transferatur. Adde Canonem 13. Dictatus vulgo Gregorii VII. ubi dicitur: Quod Pape liceat de Sede ad Sedem, necessitate cogente, Episcopos transferre.*

Secundum membrum ejusdem propositionis adituit tenor ejusdem Canonis 13. Apostolorum N. 1. h. t.

6. Judicium de utilitate, & necessitate translationum, sicut & translationes ipsae in primitiva Ecclesia spectabant ad Metropolitanam, & Episcopos Compromvinciales, seu potius ad ipsam Synodum Provinciale.

Veritas facti innumeris antiquitatis monumentis comprobari potest. Unum vel alterum seligo: & imprimis rem ipsam dicit mox relatus Canon 27. Synodi Carthagenensis IV. & Canon 16. Antiochenus aperte quoque supponit Episcopum auctoritate Synodi Provincialis, quam perfectam vocat, & Ecclesia in Ecclesiam transferti posse: *Si quis vacans Episcopus in vacantem Ecclesiam irrupens, Sedem arripuerit absque perfecta Synodo; is sit ejectus, nisi omnis Populus, quem invasit, eum elegerit. Sit autem illa perfecta Synodus, cui una quoque adest Metropolitanus.*

7. Haec disciplina usque ad Saeculum IX. integra permansit: circa illa vero tempora paulatim ad Sedem Apostolicam evolvi cepit Episcoporum translatio.

Exempla pro 1. p. vide apud Thomassinum p. 2. lib. 2. c. 62. quamvis, teste eodem c. 60. primis etiam V. Saeculis Romani Pontifices in translationum negotio subsidire, & quidem ab ipsis Synodis Provincialibus, adirentur.

Quantum ad 2. p. id praesertim factum est in Gallia, teste eodem Thomassinus c. 64. N. 14.

8. Sæculo XI. jam erat receptissima illa regula Juris, & consuetudo; duodecimoque ineunte ne quidem in controversiam vocabatur: *Episcoporum translationes Romano Pontifici esse reservatas*: quod jus, & consuetudinem Innocentius III. Sæculo XIII. decretis suis, hoc titulo relatis, solum roboravit, non introduxit, ut quidam nungantur.

Pro primo membro plures tum auctoritates, tum exempla profert Thomasinus c. 66. inter alia epistolam Paschalis II. ad Archiepiscopum Regni Poloniae datam, in qua inter alia conqueritur: *Quid super Episcoporum translationibus loquor, quæ apud vos non auctoritate Apostolica, sed nutu Regis præsumuntur?* Sed præcipuum argumentum est, quod Gratianus, qui Sæculo duodecimo floruit, dum 7. q. 1. c. 33. ex epistola supposititia Anteri (tit. 2. N. 145. & seq.) refert: *Quod sicut Episcopi habent potestatem ordinare regulantur Episcopos, & reliquos Sacerdotes; sic quoties utilitas, aut necessitas coegerit, supra dicto modo & mutare* (hoc est, transferre) *& inthronizare potestatem*: addat ex suo: *Non tamen sine Sacrosanctæ Romanæ Sedis auctoritate, & licentia*. Nam ut recte notant Correctores Romani, hæc verba non leguntur in Epistola Anteri, neque in Panormia, neque apud Burchardum, & Ivonem. Quæ epistola cum circa Sæculi IX. initium ab Ilodoro Mercatore fabricata sit (N. 130. tit. 2.), ex ea discimus, illa tempestate translationes adhuc per Metropolitanos fieri consuevisse. Et cum Sæculo XII. Gratianus hanc clausulam ei in sua Collectione Canonum adjecerit; illo tempore translationes Episcoporum Romano Pontifici jam reservatas fuisse, dubitare non possumus. Id enim causæ fuit, quod illam adjecerit.

Secundum membrum sequitur ex mox dictis. Et confirmatur ex ejus epistola, quam primo Pontificatus sui anno ad Episcopum Hildesheimensem scriptit idem Pontifex, teste Raynaldo ad A. C. 1198. N.

11. ubi ait: *SS. Patres majores Ecclesiæ causas, utpote cessiones Episcoporum, & Sedium translationes sine Apostolicæ Sedis licentia fieri vetere: ubi subjungit Thomasinus: Ubi consuetudo annis 100. aut 200. viguit, tunc jure suo gloriam sibi vindicat, & majestatem venerandæ antiquitatis.*

9. Eadem fere causæ, quæ electiones, confirmationes, & consecrationes, etiam translationes Episcoporum ad Sedem Apostolicam successively devolverunt.

Præcipua fuit, quod Conciliis Provincialibus sæpe satis virum non fuerit ad coercendam Episcoporum ambitionem, & contumaciam; adeoque necessum crebro fuerit recurrendi ad Sedem Apostolicam, cujus pondere, & majestate opprimerentur turbulentorum hominum factiones. Cujus rei exempla vide apud Thomasinum cit. p. & lib. 2. c. 60. & 61. &c. Ipsa autem rerum experientia constat, hæc frequenti ad Superiores Sedes majorum causarum relatione consuetudinem sensim inolescere, & ex inolita consuetudine legem confirmari earundem eo semper referendam. Et hæc via majores causæ complures, in Conciliis antea tractari & terminari solitæ, ad Sedis Apostolicæ judicium traductæ sunt, & longo seculorum usu confirmatæ. Non ergo Romani Pontifices occuparunt ipsi, ambieruntque, ut hæc ad se judicia perferrentur; sola inferiorum Præsulum, Judicumque dissensio, vel Populorum in eos contumacia in causa fuit, ut ad Superiorem Potestatis arcem confugerent; idque non arbitrarie, sed exigente hunc ordinem ipsa Christi institutione, qua sub uno Capite Visibili in terris, Romano Pontifice S. Petri Successore, pulcherrimo ordine

conspurgit Hierarchia Ecclesiastica.



Diffi-

Difficultas orta ex Cap. 2. hoc Titulo explanatur, & dictam Capitulum cum Notis historicis in hunc Titulum conciliatur.

10. Translationem Episcoporum de una Ecclesia in aliam jure divino ad Sedem Apostolicam pertinere, & quidem private ad quemcumque alium, videtur manifesto innuere Innocentius III. relatus Cap. Inter 2. h. f. ubi ita differit: *Non enim humana, sed potius divina potestate Conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis (quem constat Vicarium esse Jesu-Christi) Episcopus ab Ecclesia removetur: & ideo tria hæc, quæ præmissimus, non tam constitutio canonica, quam institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata.*

11. E contra Metropolitanos cum Synodo Provinciali jus transferendi Episcopos habuisse, idque per novem Sæcula communiter exercuisse, ex hucusque relatis Canonibus, & exemplis in apico est. Vel ergo Innocentius III. vel tota retro erravit Ecclesia.

12. Nodum hunc gordium solvet sequens positio, quam insinuat doctissimus Thomasinus cit. p. 2. lib. 2. c. 64. N. 6. verbo, *Illud secundo observa*: quam sic formo. Innocentius divina institutione soli Romano Pontifici jus admittendi cessiones Episcoporum, aut translationes decernendi, permittebatque reservatum asserit: quia potestas dispensationes concedendi per totam Ecclesiam, & majora quædam negotia sibi reservandi, appendix quædam est Divini Primatus. Verba Auctoris hic adnumero, & quibus praxim veteris Ecclesiæ cum sententia doctissimi Pontificis facile conciliabis. *Illud, inquit, secundo observa, quam considerate & circumspicte In-*

nocentius loquatur, ubi ait: *Sedem Apostolicam à Christo ipso Principatu omnium Ecclesiarum donatam esse: Concilia vero posteriora, et exemplo ut se accomoderent, majores causas ei reservasse: ex quo contigit, ut sæculis solventibus cum translationes quoque Episcoporum majoribus causis fuerint adscriptæ, ea quoque Sedi Petri reservarentur. Ita videri possunt hæc veluti rivuli ab illo primigenio manasse Primatus fonte, etsi nonnisi longo post tempore in lucem eruperint. Tria ergo sunt rerum genera, tria singulorum tempora. Primatus Sedis Apostolicæ, causæ majores in genere, translationes specialiter Episcoporum. Primatus ab ipso immediate Christo scaturit. Reservatio causarum majorum Conciliis inmittitur, & Constitutionibus Ecclesiasticis, ut corollarium quoddam Primatus, idque antiquissimum. Recentior est translationum reservatio; sed & ipsa quodam suo modo dimanat à Primatu; cum ex illo privilegio generali, quod Beato Petro, & per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus noster indulsit, (verba sunt Innocentii cap. 1. h. t.) en divini juris Primatus! Canonica postmodum manaverint instituta, continentia majores causas Ecclesiæ ad Apostolicam Sedem referendas. Hæc est causarum majorum reservatio, in Conciliis quidem facta, sed ab origine tamen aliquo modo scaturiens Divini Primatus, in quantum Concilia contemplatione & reverentia Divini Primatus hæc reservatio-nes Episcoporum causis majoribus sunt annumerata. Hæc ille. Quibus & dictam capitulum secundum cum primo, & utrumque cum notis nostris historicis conciliatur.*

TI-

TITULUS VIII.

De autoritate, & usu Pallii.

1. PRæter ornamenta Pontificalia, omnibus Episcopis communia, est unum admodum famosum iplis Metropolitanis, & his majoribus proprium, nec ullis Episcopis in Ecclesia Latina juxta antiquam, modernamque disciplinam commune, nisi speciali Sedis Apostolicæ Privilegio munitis. Pallium illud dicitur. De ejus autoritate & usu præfens, quem historice commentandum suscipimus, agit Titulus.

2. Formam Pallii ita describit Innocentius III. lib. 1. Myst. Missæ c. 63. *Pallium fit de candida lana contextum: habet desuper circulum humeros constringentem, & duas lineas, sive fascias ex eodem panno ab utraque parte dependentes: quatuor autem Cruces purpureas, ante & retro, à dexteris, & sinistris: sed à sinistris pallium est duplex, simplex à dextris: cui in tres partes confiso, tres acus insiguntur (spinas vocant alii) quibus insiguntur. Atque ex his Innocentii verbis habemus (inquit Nicolaus de Bralio Presbyter Oratorii) fidelem, & exactam formæ Sacri Pallii delineationem, etiam ut nunc est: hoc excepto, quod habeat nunc sex Cruces ex serico insertas (additis duabus paucis, ut opinor, ab hinc annis), quatuor scilicet in circulo, nempe ante, & retro, à dexteris, & sinistris: & præterea unam in medio utriusque lineæ: & quod Cruces intextas, quas dicit esse purpureas, recentiores quidam Canonistæ scribant esse nigras, & revera nigre apparent non solum in Palliis, quibus nunc utuntur Archiepiscopi, sed in illo antiquissimo, quo utebatur Stephanus III. Papa, qui sedebat An. 750. quodque ipse reliquit apud D. Dionysii Basilicam, Mausoleis Christianissi-*

morum Regum celebrem, ubi adhuc offertur.

3. Ejus longitudo in Ecclesia Latina ante Sixtum IV. (sub quo decurtari cepit, quemadmodum ex ejusdem effigie ænea A. 1493. elaborata, in qua linea Pallii anterior vix longitudinem palmi unius superat, conspicuum redditur) usque ad mediam tibiam protendebatur, teste Josepho Catalano Presbytero, recentissimo atque egregio Commentatore Cæremonialis Episcoporum, SS. D. N. Benedicto XIV. dicati, cap. 16. §. 5. N. 6. ubi ex Ciaconii Tomo 2. refert effigies sepulcrales Urbani VI. Bonifacii IX. Martini V. Sixti IV. Decessorum hanc sacræ fasciæ longitudinem exhibentes, ad difficultatem ex figura sepulcrali Eugenii IV. ortam enodat.

4. Principalem materiam pro confiendis his Palliis suppeditant Agni, prius in Missa solemnè in Ecclesia S. Agnetis extra muros Urbis, die ejus cultui dicato, oblatis. Qua autem forma hi agni offerantur, & eum in finem à Pontifice benedicuntur, ac postmodum educuntur, describit mox laudatus de Bralio sequentibus: Subdiaconi Apostolici, seu Ministri Ecclesiastici Papæ, qui quidem quinque numero sunt, procurant, ut die festo S. Agnetis, qui est vigesima prima Januarii, habeantur duo candidissimi agni, qui ponuntur supra equum hinc inde in duabus cistellis, in ejus Ecclesiam portandi, Consuetudo autem est, ut Conductor primum cum his transeat per Plateam S. Petri ante Palatium Vaticanum Papæ, qui à fenestra manu eos benedicit. Dehinc vero per mediam Urbem eos desert ad præfatum Ecclesiam S. Agnetis, in qua ejus S. Corpus religiose asservatur, & colitur: ubi in

Missa

Titulus VIII. De autoritate, & usu Pallii.

Missæ solemnè, cum perventum est ad *Agnus Dei*, offeruntur à Religiosis hujus Ecclesiæ, qui nunc sunt Canonici S. Salvatoris; deinde traduntur duobus Canonici Basilicæ Lateranensis S. Joannis, quæ est Cathedralis Papæ, à quibus eorum cura committitur dictis Subdiaconis Apostolicis; qui primum eos in pascuis quibusdam particularibus ad tempus servant, deinde eorum lanam à certis Monialibus in filum duci curant, ex quo filo, adhibito tamen alio ex ordinaria lana, cum ista non sufficiat, vel ipsi, vel illæ Moniales fasciatales, eas lanas intertexendo, conficiant, & ex illis Pallia postea benedicenda apud S. Petrum.

5. Hæc benedictio Palliorum non fit singulis annis, sed rarius, prout necessitas mittendorum Palliorum exigit; & fit non in Altari Majori S. Petri, quod cernitur in medio superioris partis Ecclesiæ, sed in alio inferioris partis, quod est sub isto, & ideo Sepulturæ S. Petri viciniore. Facta demum Benedictione, relinquuntur Pallia una nocte super Altare Sepulturæ S. Petri; deinde reconduntur in capsula, seu arcula parva, quæ ponitur, & asservatur supra Cathedram S. Petri, in qua primum Romæ sedet.

6. Usus Pallii & olim viguit, & hodie in utraque Ecclesia viget.

Asserti veritas ex sequentibus patebit.

7. Quando præcise, & quomodo usus hujus ornamentis incæperit, fat obsecrum est, sive Græcam, sive Latinam Ecclesiam spectemus.

Equidem in famosa illa Constantini M. donatione, relata apud Gratianum *dist. 98. c. 14. §. 3.* legitur: B. Sylvestro ab illo Imperatore præter alia imperialia ornamenta etiam *Superhumeralia*, videlicet, lororum, quod Imperiale circumdare assolet collum, contradictum. At cum Eruditis hodie fere persuasum sit, donationem istam posteriori ætate fabricatam esse, ex illa Epocham initii usus Pallii tuto figere non possumus. Nec Liber Pontificalis, qui sub

Tom. I.

nomine Damasi circumferitur, revera autem, si non totus, saltem majori ex parte est Anastasii Bibliothecarii, Authoris Sæculi IX. eadem referens hic attendendus, cum illa referat ex dicta donatione.

8. Nihilominus usus Pallii ab Imperatore in Christi Sacerdotes largitate, & pietate ortum probabilissime habuit.

Id adituere conatur doctissimus Thomassinus in veteri, & nova Ecclesiæ disciplina de Beneficiis p. 1. lib. 2. c. 45. N. 8. ex Theodoret lib. 2. cap. 27. ubi data occasione illius Stolæ Sacræ meminit, quam olim Constantinus M. Macario Jerosolymitano Episcopo gestandam dederat tum, cum solemniter baptizaret: quo loco ex Theodoret relato subiungit: *Dubitare posses, an ejusmodi Cappa ex iis esset, quas vulgo haberent Episcopi, hoc solo prætoriosior, quod illam donasset Imperator? an vero esset ipsum Regale Pallium (id est, fascia & lorum Regalis Pallii) quo & spirituale Episcoporum Regnum ornari pro sua summa pietate voluit, ut & ipsum Imperiale fastigium è summa Sacerdotii Majestate novi aliquid splendoris acciperet? & pergit: Hoc postremo si amplectare, recte conjicies, primam hanc esse Pallii Archiepiscopalis originem. Et quamvis sicut ex donatione Constantiniana mox relata, ita ex hoc Theodoret loco evinci haud possit, Constantinum M. esse Authorem Archiepiscopalis Pallii; cum tamen illud per aliquot sæcula de solo Imperatorum consensu ab ipsis etiam Summis Pontificibus collatum fuerit; (N. 13. h. t.) certum videtur ab eorundem magnificentia originem traxisse. Accedit, quod, uti advertit idem Thomassinus cit. p. 1. l. 2. c. 49. n. 7. sicut illa donatio Constantiniana (circa Sæculum IX.) non eo consilio concinnata fuerit, ut accessio aliqua ornamentorum vel Pontifici fieret, vel Cardinalium Collegio: sed ut ea, quibus jam fruebantur, ad altiorum originem revocarentur. Et hinc pergit: *Unum id novis videtur studiose com-**

II

men-

mendandum animo, persuasissimum tunc omnibus fuisse, ab Imperatoribus Christianis manasse pretiosissima illa Sacerdotii Ornamenta.

9. Hanc nihilominus propositionem intra probabilitatis limites permisi, quoniam supra laudatus Catalanus eodem c. 17. Cæremonialis Episcoporum §. 7. n. 4. ex Ruperti Tutientis Abbatis, S. Martinum à S. Petro ordinatum Episcopum Trevirensis Ecclesiæ, hæreditatem Pallii suis Successoribus reliquisse, Lib. 1. de divinis officiis cap. 27. agentis, testimonio, contendit: Coævum esse Christianæ Religioni Pallium Pontificale, eoque usum Apostolorum Principem Petrum, à quo illud S. Maternus accepisset. Pergitque: Scio à quibusdam Recentioribus Pseudo-Criticis flocci pendì Ruperti auctoritatem, quod sine veterum testimonio Auctor ipse duodecimi dumtaxat Sæculi, tam antiquum Pallii concessionem facit. Verum scitissime respondet Lupus Tom. 8. Operum de Africana Ecclesiæ Romanis Appellationibus cap. 13. Rupertum omnino adjuvari testimonio Veterum irrefragabilibus, præsertim vero testimonio S. Marci; quippe qui Alexandrinam Ecclesiam non tam suo, quam potius Apostoli Petri nomine, ac vice fundavit, incedit, ac rexit. — Ac proinde quidquid sacre discipline Marcus isthic instituit, à S. Petro hæud dubie accepit. Testimonium hoc Numero sequenti videre, & expendere potest cordatus Lector, atque cum dictis præsentium numero, & per decursum, præsertim N. seq. dicendis conferre, & ita iudicium suum ferre.

10. Antiquiora usus Pallii indubitata monumenta profant apud Ecclesiam Græcam, quam Latinam.

Ejus enim & usum & finem apud Græcos ante Sæculi V. medium describit Hierodorus Pelusiota L. 1. ep. 136. his verbis: Episcopi Pallium, Omophorion, ex lana, non ex lino contextum, ovii illius, quam Dominus aberrantem quæsit, inven-

tamque suis humeris sustulit, pellem significat. Episcopus enim, qui Christi typhum gerit, ipsius munere fungitur, atque etiam ipso habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni Pastoris imitorem esse, qui Gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. Et Liberatus Archidiaconus Carthaginensis IV. Sæculi Auctor (in cuius tamen testimonio obmox advertenda vim non ponimus) in suo Breviario refert, antiquissimum morem Alexandria viguisse, ut qui Episcopo demortuo successurus erat, super ejus corpus excubias noctis ageret, dexteram demortui sui capiti imponeret, eoque demum terræ mandato, Pallio B. Marci indueretur, atque ita consecraretur Thronum Marci. Cum è contra, in Ecclesia Latina primus omnium Symmachus Papa circa Sæculi V. finem Pallium in Occidentem direxisse legatur ad Cæsarium Arelatensem Episcopum, quemadmodum colligitur ex ep. 8. Vigiliæ Papæ, Symmachii Successoris, ad Auxaniam Arelatensem Episcopum, apud Coletum Tom. 5. Conciliorum col. 1300. ubi ait: Ut agentis vices nostras Pallii non desit ornatus, usum tibi ejus, sicut Prædecessori tuo Prædecessor noster S. recordationis Symmachus legitur contulisse; B. Petri S. Auctoritate concedimus. Idem Symmachus Papa Laureacensi Archiepiscopo (cujus Metropolis olim famosissima rudera ad Oppidum Anafum in Superiori Aultria conspiciuntur) Pallium Archiepiscopale cum Legatione Vicis Apostolicæ in Pannonia, & Moravia A. 501. misit: ejus missionis instrumentum, quod à Coletum Tom. V. Concil. col. 440. refertur, cum teris hæreditariis gloriosum existat Patrioticis uberem reflexionum historicarum materiam suppeditet, atque Galunianatoribus sacri hujus vestitus ora obstruat, ad longum adducere placuit.

.

Sym-

Symmachus S. Apostolicæ Sedis gratia Dei Episcopus, Reverendissimo Fratri Theodoro S. Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopo.

Debus vitæ tuæ Pallii usum, quem ad ostendendam unanimitatem, quam cum B. Petro Apostolo univèrsus Grex Dominicarum Oviarum, quæ ei commissæ sunt, habere dubium non est: ab Apostolica Sede, sicut decuit, poposcisti: quod, utpote ab eisdem Apostolis fundatæ Ecclesiæ majorum more libenter indulsumus, ad ostendendum te Magistrum & Archiepiscopum, tuamque Sanctam Lauriacensem Ecclesiam Provinciæ Pannoniarum Sedem fore Metropolitanam. Idcirco Pallio, quod ex Apostolica Charitate tibi destinamus, quo uti debeas secundum morem Ecclesiæ tuæ, solerter immonemus: pariterque volumus, ut intelligas, quia ipse vestitus, quo ad Missarum Solemnia ornaris, signum præterdit Crucis, per quod scito te cum fratribus debere compati, ac mundanalibus illecebris in affectu crucifigi. Unde cum te foris hujusmodi insignio indueris, intus in animo considera, quod hoc sit magis oneris, quam honoris, atque, cor tuum Deo tegente, ab appetitu istius sæculi sic tempera, ut & commissam exequi gubernationem studeas, & adeptæ Dignitati, cuius sublimaris Officio, & probitate morum, & vivacitate sollicitudinis, ac custodia integerrima fidei congruas, quatenus tu ipse à Remuneratore omnium bonorum Deo, & benedictionis gratiam, vitamque æternam consequi merearis. Amen.

Nec obstat Can. 1. dist. 100. in quo Pallii mentio diserita habetur, & à Burcardo, Anselmo, atque Authore Panoramicæ Damafo, qui Sæculo IV. Ecclesiam gubernavit, tribuitur; nam, præterquam

quod Gratianus illum citet ex Pelagio Sæculo VI. sedente, Eruditus exploratum est, illum esse ex supposititis Hierodori Mercatoris mercibus, adfupulante ipso Recentissimo Commentatore Cæremonialis Episcoporum jam laudato, c. 16. §. 1. n. 6. cuius tamen sententia n. 9. relata, Pallii, de quo loquimur, usum in Latina, quam Græca Ecclesiæ antiquiorem non evincit; quia fundatur tantum in probabilii conjectura, argumentis contrariæ sententiæ non eminenti; eo vel maxime, quod ignoremus, quale istud B. Marci Pallium ex referend. n. 12. fuerit.

11. Illud certum est, tempore S. Gregorii & Justiniani Imperatoris, seu Sæculo VI. in utraque Ecclesia usum Pallii viguisse.

De eo siquidem frequens tum in Gregorii Epistolis, quarum plura Fragmenta extant apud Gratianum dist. 100. tum in Justiniani Novellis occurrunt mentio.

12. Pallium hæcenus descriptum non fuit prioribus Sæculis omnibus Episcopis sive Græcis, sive Latinis tanquam propria eorum vestis tempore suæ Ordinationis communicatum; sed fuit peculiare Metropolitanorum, & his majorum, ornamentum.

Id colligitur ex Synodi Œcumenicæ VIII. A. 870. celebr. Can. 27. apud Colet. Tom. 10. col. 650. ubi habetur: Secundum traditas formas per singulas Provincias, ac Regiones, & Urbes in Ecclesiasticis promotionibus, & consecrationibus illa, quæ in incicia, & signa sunt Ordinis, qui unicuique inesse videtur, retineri decernimus; ut Episcopi, quibus concessum est Pallii uti certis temporibus, in eisdem temporibus & locis iis induantur, & tali, ac tanto non abutantur amictu propter typhum, & inanem gloriam. Non ergo Episcopi omnibus fas erat uti Pallio, & quidem secundum traditas à Prædecessoribus formas. Hæcenus dicta confirmantur ex eisdem Concilii Can. 17. in quo Metropolitanæ à quatuor

Patriarchis dicuntur promoveri ad Metropolitanam Dignitatem, sive per manus impositionem, sive per Pallii dationem; superflue enim dedissent Pallium Metropolitanis, si hi illud jam habuissent ut Episcopi. Duplex igitur videtur distinguendum Pallium apud Græcos, inquit Thomassinus: unum quod totum obvolvebat corpus; Cappæ instar, à collo ad talos usque sine manicis, scissurisque ulla, & ea solum parte apertum, qua posset caput inseri, exerique; & de hoc videntur intelligenda illa, que Pallium exhibent, ut Episcoporum Græcorum insignis, omnibus commune; quippe illis datum à Metropolitanano in sua ordinatione. Alterum, de quo hic proprie loquimur, seu lorum illud, fasciæque quatuor circiter pollices lata, Crucibusque distincta, que cingit coltum, & ante pectus desinit supra casulam, pendetque infra genua: & de isto intelligenda videntur illa testimonia, que suadent Pallium apud Græcos non fuisse antiquitus omnibus Episcopis commune. Correspondet huic conjecturæ, & utriusque Pallii distinctioni, atque descriptioni ex asse, effigies S. Joannis Chrysolomi, copiatæ ex vetusta admodum icone ejusdem Sancti Constantinopoli olim depicta, ac ejusdem operibus edit. Antwerpensis de An. 1723. præfixa; in ea siquidem aurei oris Oratorem ut Episcopum, & Metropolitanam utroque Pallio accurate juxta formam à Thomassinò delineatam indutum hæc confexi.

13. Pallio à Principibus primo decorati sunt tantum Patriarchæ, qui ab eisdem Imperatoribus impetraverunt primum eo donari Metropolitanos insigniores, deinde omnes.

Prima pars assertionis constat ex eo, quod Ecclesiastica Monumenta solos Patriarchas recentiant iis in locis, ex quibus colligitur, Pallium ab Imperatoribus datum fuisse; Metropolitanas vero à Patriarchis missa Pallio confirmatos ostendant. Legimus igitur in Breviario Liberati

Lib. 1. cap. 21. Anthimum Patriarcham Constantinopolitanum, ab Agapeto Sæculo VI. exauctoratum, Pallium reddidisse Imperatori, & ita discessisse. Videns se Sede pulsam, Pallium Imperatoribus reddidit, & discessit. Ei ergo reddidit, à quo illud accepit. Et Gregorius M. per Literas Imperatorem eodem Sæculo se interpellasse dicit Lib. 1. ep. 27. ad Sebastianum Episcopum Rhiziniensem apud Colet. tom. 6. col. 758. ut Anastasium Patriarcham Antiochenum, quem Antiochiæ consiliteret vetabat, Romæ sedere pateretur, concessio ulu Pallii. In Imperatoris ergo potestate & arbitrio erat, quamdiu, & ubi Patriarchæ Pallio uteretur.

De secunda ita loquitur Thomassinus cit. p. 1. lib. 2. c. 53. n. 9. Hoc autem pene indubitatum est, aliquot saltem Sæculis, non sine voluntate Imperatoris in Oriente Pallium, sicut & in Occidente concessum fuisse Metropolitanis. Cum enim vestimenti id genus initio Regium fuisset, eoque voluissent Imperatores, quæ eximia illorum erat & singularis pietas, Regale Christi decorare Sacerdotium, hanc vicissim illis per aliquot Sæcula pietatem, gratitudinemque rependit Ecclesia, ut illo, præter eorum assensum, indueretur nemo. Idque, præter, alia probat exemplo Vigilii Papæ, qui Auxanio Metropolitanæ Arelatenis Pallium misit, requisito consensu Justiniani & Theodoræ. Oportet, inquit in ep. n. 10. relata, fraternitatem vestram incessantibus supplicationibus Deo nostro preces effundere, ut DD. Filios vestros Justinianum atque Theodoram sua semper protectione custodiat, qui pro his (inter quæ etiam erat concessio Pallii) vestra eharitati mandandis pia præbuerunt devotione consensum. Cum tamen subinde, videlicet Sæculo VIII. vestes Sacerdotum à Laicalibus proflus distingui inciperent, sacraque evaderent, ac ului civili subductæ; etiam Pallium non amplius ab Imperatoribus dari decuit, sed à Pontificibus, vel Patriarchis.

chis, neglecto eorumdem consensu. Eo vel maxime quod, utcumque etiam aliquando decorum fuerit, aut necessarium Imperatoris, aut Regis ante explorare voluntatem, & assensum, quam usus Pallii concederetur; non alia tamen magis, quam Apostolica autoritate concederetur: quemadmodum ex mox laudata Vigilii Epistola clare eruitur, in qua Pallium Arelateni Metropolitanæ B. Petri auctoritate concedit: Pallium, inquit, — B. Petri auctoritate concedimus.

14. In Ecclesia Latina Romani Pontifices primitus, seu usque ad Sæculum VIII. non miserunt Pallium nisi ad Metropolitanas; eoque instituebantur in Papæ Vicariis; ac Primum, Patriarchalique Potestatis participationem supra Metropolitanas alios assequabantur.

Ita Vigilii Papa ad exemplum Symmachi Prædecessoris sui Sæculo VI. Auxanio Arelateni Metropolitanæ Pallium misit, vicelque suas per Galliam committit. Ita Vigilii Successores tum Arelatenibus, tum aliis Metropolitanis Thessalonicensi, Hispanensi, Cantuariensi, Moguntino, &c. Pallia cum Primatus, ac Vicariatus sui prerogativa contulerunt, ut obvie loquantur eorum monumenta.

15. Nonnisi Sæculo VIII. factum est, ut Pallium Metropolitanani acceperint, qui meri Metropolitanani manserunt.

Id constat ex ep. 4. Zachariæ Papæ ad S. Bonifacium hoc Sæculo scripta, apud Colet. Tom. 8. col. 237. in qua Grimoni Abeli, & Arberto, qui meri Metropolitanani erant, Pallium largitur. Et ex Epistola S. Bonifacii ad Angliam directæ in comperto est, Metropolitanos Galliarum An. 742. Pallium ab eodem Zacharia petiisse, & omnes tandem impetrasse. Imo illud omnes Occidentis Metropolitanæ erant adepti circa VIII. Synodi Generalis tempus, seu circa Annum 869. uti exemplis plurimis demonstrat Thomassinus p. 1. cit. lib. 2. c. 56. quibus & eorum erroneam opinionem refellit, qui existimant, quod

prima omnium hæc Synodus necessitatem postulandi Pallii, & profundi Romano Pontifici obedientiam Metropolitanis inflixerit. Nec obstat, quod Sæculi VI. sine à Gregorio M. duo in Angliam Pallia missa fuerint, unum Cantuariensi, alterum Eboracensi Metropolitanæ, quem morem & servavit ejus Successores; cum tamen una Provincia tunc non foret habere duos Vicarios Apostolicos; hi enim ex eisdem Pontificis instituto certa in se se mutuo jura, & alternam quodammodo potestatem exercebant, adeoque neuter erat simplex Metropolitanus.

16. Simples etiam Episcopi, & quidem antequam Pallium omnibus Metropolitanis esset commune, & postea quoque seu Sæculo IX. illud à RR. Pontificibus impetratum.

Illud misit Gregorius M. ad Siagrium Augustodunensem Episcopum, Lib. 7. ep. 113. apud Colet. tom. 6. col. 1096. Et Aiglibertum Cenomanensem Episcopum eo donatum An. 685. probat Contius. Sæculo IX. Actardo Nannetensi Præsuli Pallium concessit Adrianus II. Item Adalgario Augustodunensi Joannes VIII.

17. Metropolitanæ per concessionem Pallii Jurisdictioni Vicariorum Apostolicorum, & Episcopi post Sæculum IX. per eandem Jurisdictioni Metropolitanorum subditi sunt, & Romanæ Sedi immediate subiecti.

Prima pars aperte colligitur ex Ep. S. Bonifacii ad Zachariam Papam; in ea siquidem legitur, Sæculo VIII. in Gallia adeo fuisse collapsam, conculcatamque Ecclesiæ disciplinam, ut per tempus 50. annorum (verba sunt Bonifacii ibi) Synodum non fecerit, nec Archiepiscopum (hoc est, Vicarium Apostolicum Arelatensem; is enim à ducentis retro annis unus erat Galliar Archiepiscopus) habuerint. Rogavit igitur Carolomanus Francorum Rex eundem Bonifacium, ut in Gallia Synodum congregaret, & Ecclesiæ disciplinam postliminio revocaret. Quo in Con-

Concilio cum animadverteretur, quod cum ruina Primatus Arelatenfis & eadem conuerteret; deliberatum fuit, an debeat peti novus Vicarius Apostolicus; an vero antiqua renovari consuetudo, qua Summo Pontifici Metropolitanis singuli sine medio subicerentur? Postremum præplacuisse colligitur ex eisdem Pontificis Ep. 105. ad Angliam data, in qua habetur: *Omnēs Episcopi debent Metropolitanis, & ipse Romano Pontifici, si quid de corrigendis Populis apud eos impossibile est, notum facere.* Et Francos, saltem post obitum Bonifacii, ad illam veterem disciplinam redire maluisse, dubitari haud potest. Itaque quidem causa Episcopos Concilii, à Bonifacio celebrati, adduxit, ut Metropolitanis omnibus à Pontifice Pallia peterent: *Decreuimus* —, inquit Germania Apostolus in prælaudata Epistola, *Pallia ab illa Sede querere.*

Quantum ad II. partem, Episcopos, qui ante Sæculum IX. quandoque à Sede Apostolica Pallio decorabantur, per illud exemptionem à Jurisdictione sui Metropolitanæ non obtinebant, sed solam præcedentiam inter alios ejusdem Provinciae Suffraganeos, cum honore Archiepiscopi, seu Proto-Throni inter Episcopos; post Sæculum vero IX. gratia in propositione insinuata Pallio, nudis Episcopis dari solito, annexi cepit; uti variis exemplis probat Thomassinus cit. p. 1. lib. 2. c. 56. quæ ibi videri possunt. Inter alia adducit Privilegium Adriani II. Actardo Nannetensi Episcopo cum usu Pallii concessum, in quo legere est: *Sed Apostolica Sedis referueris tantum examinandum incunctanter arbitrio; & sive videlicet decreto, vel largitate vacanti Ecclesiæ dignitatis, vel palliatus esse dignosceris.* Habetur hoc privilegium in Concilio Gallia Tom. II. pag. 434. Id igitur

discrepantiæ inter pallium Metropolitanis Sæculo VIII. & sequentibus missum, & illud, quod Episcopis dabatur, obtinere hic iuravit: quod Metropolitanis per illud ad pristinum statum, in quo erant ante Sæculum VI. quo leguntur à RR. Pontificibus instituti Vicarii Apostolici, id est, ad immediatam Papæ qua Occidentis Patriarchæ subjectionem redierint, Episcopi vero privilegium alias nunquam habitum obtinuerint, videlicet exemptionem à Jurisdictione Metropolitanis.

18. In Ecclesia Græca Patriarchæ, postquam consuetudo Pallium ab Imperatoribus accipiendi exolevisset, à Sede Romana illud accepere: aut ad minus de ejusdem Sedis licentia à suo Consecratore.

Id colligitur ex testimonio Luitprandi, qui circa Sæculi X. medium in Græcia Legatione fungebatur, & eorum, quæ ibi agebantur, oculatus testis exiit; hic enim in sua Historia apud Baronium ad A. 935. testatur, Theophylactum Patriarcham Constantinopolitanum sibi suisque Successoribus impetrasse à Papa facultatem utendi Pallio, non expectata Romani Pontificis licentia: ergo prius tam ille, quam ejus Collegæ ad minus licentiam ejusdem Sedis expectare debebant.

19. Hi nihilominus Patriarchæ Pallium suis Metropolitanis ipsi conferbant; idque vel presentibus, dum eos ipsi ordinabant, vel absentibus, dum eos ipse confirmabant.

Id aperte colligitur ex Synodi VIII. supra relatæ Can. 17. ubi legitur: *Qua pro causa & hæc Magna & S. Synodus tam in seniore & nova Roma, quam in Sede Antiochiæ, ac Hierosolymorum præscam consuetudinem decernit in omnibus conseruari; ita, ut earum Præsules uniuersorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promouentur, & sive per manus impositionem, sive per Pallii dationem Episcopalis Dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem.* Notanda hic præscam consuetudo; ea siquidem Patres Constan-

tinopolitani Sæculo illo indicare volunt, dudum Metropolitanis à Patriarchis missò Pallio fuisse confirmatos.

20. Sæculi XIII. initio Patriarchæ Orientales à Sede Romana Pallium impetrare debebant, cassatis Privilegiis N. 18. relatis.

Id statutum est in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. postquam Latini Constantinopolim, & Orientale Imperium suæ potestati subegere, in eo siquidem de dictis Patriarchis, cum Latina Ecclesia communicantibus, disponitur: *Postquam à Romano Pontifice receperint Pallium, licenter & ipsi suis Suffraganeis largiantur, C. 13. de Privilegiis.*

21. In Ecclesia Græca Sæculo X. usus Pallii omnibus Episcopis communis factus est, quod in Latina nunquam euenit.

Id N. 18. laudatus Luitprandus ex ibi relato Privilegio, à Pontificibus Græcis Patriarchæ concessio, manasse asserit: *Mos inoleuit, inquit, ut non solum Patriarchæ, sed etiam Episcopi totius Ecclesiæ Pallii uterentur.* Quem morem nunquam itrepisse in Ecclesiam Latinam res ipsa loquitur.

22. Olim Palliandi in Persona Romanæ se conferre debebant; nec sufficiebat Procuratorem, qui illud ipsorum nomine reciperet, constituit.

Id auctoritate Pontificum suorum Antecessorum decretum fuisse Sæculo XI. scribit Gregorius VII. ad Brunonem Veronensem Episcopum. *Quam utique dilectionem tuam, verba sunt Pontificis, in his, quæ à nobis exposulasti, id est, in Pallii concessione, ad præsens non reimpellamus; quia Antecessorum nostrorum decreuit auctoritas, nisi præsenti Personæ Pallium non esse concedendum.* Hanc disciplinam originem sumpsisse ex supposita Decretali ab aliis Damaso, à Gratiano Pelagio adscripta, & relata dist. 109. c. 1. notat Thomassinus. Ea nihilominus ob varia incommoda hodie sublata est, dum disisti Episcopi per Procurato-

res Pallia petunt: & Petrus Damiani Lib. 7. ep. 4. aduertit, dum ea vigeret, Pallium à RR. Pontificibus ab plurima loca fuisse transmissum per Nuntios, tanquam Apostolicæ Sedis Legatos.

23. Metropolitanæ debent Pallium instantur, instantius, & instantissime petere.

Hæc petitionis forma fundamentum habet in ipsis Sæculis, quibus Pallii usus incipit, & invaluit. Nam S. Gregorius Sæculo VI. scripsit: *Prisca consuetudo obtinuit, ut honor Pallii, nisi exigentibus meritis, & fortiter postulantis dari non debeat.*

24. Metropolitanæ utriusque Ecclesiæ jam olim nec Pontificalia munera, nec alias functiones Archiepiscopales obire poterant ante receptum à suis respective Patriarchis Pallium.

De Ecclesia Latina habemus luculentum testimonium Nicolai Papæ Sæculo IX. sedentis, qui in responsione ad Bulgaros cap. 73. affirmat, receptissimum jam suo tempore eum fuisse toto Orbe Christiano morem. Ea ejus verba: *Archiepiscopum Episcopi simul congregati constituunt. Sane interim in Throno non sedentem, & præter Corpus Christi non consecratem, priusquam Pallium à Sede Romana recipiat. Sicut Galliarum omnes, & Germania, & aliarum Regionum Archiepiscopi agere comprobantur.* Eum vero morem ex Græca Ecclesia in Latinam derivatum fuisse, vanam non esse opinionem conjicit Thomassinus cit. p. 1. lib. 2. c. 57. N. 7. cum Ecumenicæ Synodi VIII. verbis supra relatis innuat; Metropolitanos omnino omnes suæ dignitatis cumulatissimam plenitudinem jam accepisse, aut ab ipsonet ordinatos Patriarchæ, aut Pallio ab eo accepto. Ea autem œconomia usi sunt RR. Pontifices, alitque Patriarchæ, maxime per Orientem, ut vel suam in Metropolitanos potestatem in famoso illo Sexto Canone Nicæno ipsis tributam (N. 72. h. t.) hoc præsidio stabiirent; vel Metropolitanis hoc, quidquid

est, consuetudinis, sponte sua invexerunt eo tempore, atque corroboraverunt, quo tanto fervebant Pallii desiderio.

25. Solus Papa in Missarum Solemnibus, id est, Solemnitatibus, ut notat ibi Gl. Marg. semper & ubique Pallio utitur; alii vero non nisi certis & temporibus & locis.

Utraque pars determinatur c. 4. de authoritate & usu Pallii: ubi Innocentius III. & rationem hujus differentie assignat. Quoniam, inquit, R. Pontifex assumptus est in plenitudinem Ecclesiasticæ Potestatis; alii autem in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis vocati. Ceterum hanc limitationem ad certa tempora, etiam apud Græcos sæculo IX. receptam fuisse, colligitur ex supra laudato Can. 17. Synodi VIII. utpote in quo sancitur, ut designati ad superhumeralia (id est, Pallia) gestanda Episcopi certis, statisque temporibus — & locis ea gestent. Quibus autem locis gestari possit Pallium, determinatur in c. 1. hoc tit. & tempora enumerantur à Gl. in ejusdem Tituli c. 4. & fusus in Pontificali Romano. Quam vero ob causam ex Ecclesiæ præscripto non nisi inter Missarum Solemnia uti Pallio Antistes possint, ex testimonio Isidori Pelusiota N. 10. à nobis relato explicat prælaudatus Catalanus cit. c. §. 3. n. 4. inquit: *Cum itaque ex recitato Isidori testimonio laeneum Pallium perditam Ovem significet, hæc autem reperta non est, nisi per cruentum Crucis Sacrificium; jure ac merito Episcopi Redemptorem nostrum, ac Ovis Portitorem, Christum Dominum representantes, Pallio nisi in incremento Sacrificio Altaris uti non possunt; & si alicubi dicitur uti posse Pontificem Pallio, cum Episcopos consecrat, vel Ecclesiam dedicat, intelligendum id censet González in Cap. Cum sis 6. de auct. & usu Pallii, quia memorate functiones inter Missarum Solemnia peraguntur. Et hinc, juxta præscriptum Cæremonialis Episcoporum c. 16. Pallium dum Archiepiscopo imponitur, semper imponitur super planeta, in qua*

sacriticatur. Reprehenditque idem Commentator ibi §. 5. n. 6. Pictores illos, qui Sanctos Archiepiscopos contra Ecclesiasticum Ritus pingere solent cum Pluviali & Pallio, & aliquando etiam cum Pallio super monastico habitu, quem juxta Institutum, quod ante Pontificatum professi fuerant, gestabant.

QUÆSTIO DOGMATICA.

An usus Pallii sit Cæremonia Rationabilis?

26. **C**Laris. Wolfius parte 2. Philosophiæ practicæ Universitatis de Cæremoniis tractans §. 450. hæc scribit: *Elucet hic denuo necessitas notionum distinctarum, si circumspici desiderentur judicia, quæ nullibi fere magis deficiunt, quam ubi de cæremoniis feruntur. Quot enim sunt, qui satis distincte perpendunt, quid sibi velint distincte perpendunt, quæque parum determinata est Cæremoniarum notio, ut tantum non omnes in numerum Ludicrorum referantur.*

27. Hisce coloribus multorum Protestantium nostri temporis ingenia ad vivum depingi nemo non videt. Quot enim sunt ex illorum Scriptoris, qui ex defectu limpide notionis, & circumspici Judicii Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cæremonias, canitie licet præcorum sæculorum venerandas, inter Ludicra non referant, Zoilique dente non arrodant, blasphemantes quæcumque ignorant?

28. E horum grege non postremus fuit Molinæus Lib. de Passorum vocatione, ubi inter alios Ecclesiasticos Ritus, etiam usum Pallii fidenter irridet. Hunc præsertim dissertatione refutabimus, Deo auspice. Ut autem Dominis Protestantibus minus suspecti simus, quamvis Domesticis Tractatoribus de Sacris Cæremoniis omni exceptione majoribus abundemus; nihilominus ex ejusdem præclari Authoris opere relato primo

primo quædam de utilitate & necessitate Cæremoniarum in genere deslorabimus: ex quibus fore credimus, ut vel ipsi Domini Protestantes perspiciant, quam longe aliter Egregius iste & Cordatus illorum Philosophus de illis sentiat, quam vulgo apud ipsos fieri assoler. Deinde notiones claras & distinctas tum ingenuarum, tum spurciarum ex eodem subjungemus, ad quas (cum rationi conformes sint, atque ex ipsa Cæremoniarum natura deductæ) usum Pallii exigemus: justificaturi, ex eisdem data occasione & alios Ecclesiæ Catholicæ Ritus: & simul visuri, an Papatus in ea, quam hæcenus præsert forma, cum genuina Philosophia & accurata cogitandi methodo subsistere possit; an vero his statibus de ipso conclamatum sit? ut nimis impudenter essuisti nuper Ecclesiæ Romanæ defensor Roth Fuchscherus in sua de fœ ab hac Ecclesiæ ad Evangelicam, ut ait, transitu informatione, Lipsiæ anno præterlapsa evulgata. §. 69.

De Utilitate & Necessitate Cæremoniarum ex parte II. Philosophiæ practicæ Universalis Illustrissimi Baronis Wolffii.

29. **Q**UI Cæremoniam instituit, omnimodam actionis rectitudinem intendit, — atque adeo de Cæremoniarum utilitate, imo necessitate dubitare nequit, qui ad hunc finem animum advertit. §. 456.

30. Minus adeo probandum est, quod Cæremoniarum usu receptæ minime explicentur, ut plerique eorum significatum ignorent; consequenter usum nullum facere possint, ut adeo abusus tanto sit facilior. Accidit hoc non culpa Cæremoniarum instituentis, sed eorum, qui alios docere tenentur, quæ ipsis ad actiones suas rite determinandas necessaria sunt. §. 457.

31. Cæremoniarum juvant exercitium virtutis, & fugam vitiorum. Insignis proflus est hic Cæremoniarum usus, & major,

Tom. I.

quam putatur. Sunt enim homines in Cæremoniis observandis valde tenaces, quemadmodum constants omnium temporum, & Populorum experientia loquitur. Quamobrem vix securius reperire licet medium, quo virtutis exercitium, & vitiorum fuga facilitetur. Dubio procul hinc cæremoniarum usum jam olim adverterunt Sinæ, qui cum omnia ad vitam recte agendam, & Reipublicam bene administrandam dirigerent, in multiplicandis cæremoniis omnem collocarunt operam. — Nec est, quod te moveat exceptio, quam exempla suggerent, quasi homines ita cæremoniis inhærere soleant, ut, actionibus externis contenti, parum curent internas; vel ea prorsus negligant, quæ ratio agenda præcibit; id enim vel inde erit, quod cæremoniarum significatum non doceantur, quemadmodum fieri debere demonstravimus; aut non doceantur mature, quemadmodum suo constabit loco. §. 460.

32. Etsi adeo cæremoniarum vestitarum multo præclarior sit usus, quam nudarum, ob quem eas nudis præferendas esse ostendimus; cavendum tamen est, ne propterea nudæ prorsus damnentur. — Qui aliter judicant, judicium præcipitant; in quod haud raro latens insluit ambitio. §. 490.

33. Cæremoniarum cum lege naturali convenientiam, & ab ea manantem obligationem ad eas instituendas non capiunt, qui nimis abjecte de cæremoniis sentiunt, easque rebus ludicris accensent. Imo qui eas prorsus damnant, ac tanquam illicitas rejiciunt. — Probe igitur considerandum, cæremonias, si recte se se habeant, esse medium bene & recte agendi. §. 501.

Notiones Generales Cæremoniarum, deductæ ex ejus definitione ab eodem Authore, eodem Libro.

34. **C**æremoniarum sunt signa eorum, quorum in executione propositi alicujus meminisse debemus.

Kk

Ita

Ita prælaudatus Philosophus defuit cæremónicas, cujus definitionem exemplo ejusdem declaramus. Qui veri Doctoris partes omnibus numeris adimplere intendit, is debet habere propositum duplex: nimirum, sibi soli non sapere, sed etiam quid alii sentiant, inquirere velle; & demum cæco assensu aliorum non amplecti sententiam auctoritatis præjudicio. Hoc itaque duplex propositum jure *exequi*, seu in praxim mittere debet Doctor, si rem cum nomine mereri velit; ut autem id præstet, ejusdem propositi *meminisse* oportet. Ad juvandam autem memoriam in promotione sua accipit *signum*, videlicet librum nunc clausum, nunc apertum. Est igitur liber nunc clausus, nunc apertus signum eorum, quorum in executione propositi sui meminisse debet Doctor, adeoque cæremónia.

35. Si Cæremónia dijudicandæ, primo perpendenda sunt ea, quorum in dato negotio meminisse debemus. Secundo inquirendum est, num per Cæremóniam istam nobis in memoriam quid revocetur, cujus facile oblivisci poteramus. Quod si enim hoc obtinet, Cæremónia rationi conformes sunt. §. 444.

36. Si, quod Cæremónia in memoriam revocare debet, id ad negotium animi advertenti per se patet, Cæremónia superflua est. §. 445.

37. Quod si Cæremónia aliqua in futurum usum adhibetur, ea superflua censi nequit; etsi in præsentis negotio nullum usum habeat. §. 446.

38. Si Cæremónia aliena à præsentis negotio in animum revocat, & attentionem ab illis, quæ agenda sunt, ad ea trahit, absurda est. — Absurditas enim in contradictione consistit. §. 450.

39. Cæremónias unicuique in suum usum instituire licet, nisi institutio pugnet cum officio quodam erga alios. §. 454.

40. Cæremónia consistunt vel in aliqua actione, vel in aliquo alio sensibili. Si actio aliqua externa, vel sensibile quod-

dam aliud in memoriam revocat ideam aliquam, quæ in appetitum, vel aversationem, cui actio quædam tunc committenda, vel omittenda respondet, influit; Cæremónia juvat commissionem actionis, seu in causâ est, ut actionem hanc committas vel omittas. §. 459.

41. Cæremónia nuda (seu tantum significativæ) sunt, quæ tantummodo signa sunt eorum, quorum in executione propositi meminisse debemus. Sunt autem vestivæ (seu simul exhibitivæ), quæ in ipsam præterea actionum determinationem influunt. §. 462.

42. Si Cæremónia nullo fine adhibetur, nulla est. §. 462.

43. Quoniam Cæremónia sese habent ad actiones per modum mediæ ad finem, si vero finem intendere non licet, nec mediis uti licet ad finem consequendum destinatis, ejus consequendi gratia; si actiones, quibus Cæremónia inserviunt, illicitæ sunt, nec Cæremónias earum gratia uti licitum est; consequenter Cæremónia sunt illicitæ, quatenus sunt Cæremónia huic actui destinata. §. 468.

44. Quia Cæremónia illicitæ sunt, quæ actui illicito inserviunt, seu ejus gratia adhibentur; si Cæremónia bono fine introductæ imponitur significatus illicitus, seu actus illiciti gratia adhibetur, — Cæremónia licita in illicitam degenerat. 469.

45. Si Cæremónia in actu per se minime illicito consistit, sed finis illiciti gratia introducta, imponatur significatus licitus, seu ea ad actum licitum adhibetur, illicita non est. §. 470.

46. Quoniam Cæremónia se habent ad actus, quibus inserviunt, per modum mediæ ad finem, si Cæremónia in actu illicito consistat, quæ ad actum bonum adhibetur, illicita est. §. 472.

47. Si Cæremónia consistit in actu indecoro, vel illum significat, indecora est, & rejicienda. §. 480. & 482.

48. Cæremónia apta dicitur, si ex ipso negotio, in quo adhibetur, reddi possit ratio,

ratio, cur hac potius re, vel hoc actu ad aliquid significandum utamur, quam alia re, vel actu alio. Inepta vero appellatur, si ex ipso negotio, in quo adhibetur, nulli apparet ratio, cur hæc res, vel hic actus ad aliquid significandum adhibetur. §. 483.

49. Si in notione rei vel actus, qui ad significandum aliud quid in dato negotio adhibetur, continetur ratio, cur id significet, Cæremónia dicitur conveniens. Quod si vero in re ista, vel actu illo continetur quidpiam, quod contrariatur significatui, seu ratio significatus contrarii, Cæremónia inconveniens appellatur. §. 485.

50. Si in Cæremóniis nil desiderari debet quoad significatum earundem determinandum, & aptæ, & convenientes esse debent, seu aptæ & convenientes simul. §. 488.

51. Cæremónias de præsentis vocamus, quæ nobis in memoriam revocant quidpiam, cujus nunc meminisse debemus, vel etiam in determinationem actus præsentis quomodocumque influunt. Cæremónia autem de futuro à nobis appellantur, quæ nobis memoriæ insigunt quidpiam, cujus posthac recordari debemus. §. 491.

52. Si Cæremónia debet esse recta, in significatus impositione nil desiderari debet ex parte intellectus, voluntatis, & voluntatis. §. 499.

53. Si Cæremónia usu tollitur vel diminuitur jus perfectum alterius, vel usus ejus quomodocumque impeditur, Cæremónia iniusta est. §. 505.

54. Si vero — jus imperfectum, iniusta est. §. 506.

55. Si qua Cæremónia majorem admittit abusum, quam usum habet, ab ea abstinentum. §. 508.

56. Scholion Authoris. Multa cautio- ne opus est, ne in principio hoc applicando aberras. Fieri enim potest, ut abusus quidem vincat usum vitio eorum, qui Cæremónia uti debent, sed quod corrigi potest, ut abusus omnis tollatur, & impos-

terum præcaveatur. Hæc ille. Jam ad nostra redeundo.

57. Ex dictis N. 10. liquet, Pallio Episcopali jam sæculo V. inditum fuisse significatum ovium illius, quam Dominus aberrantem quasi vitum; qui significatus Episcoporum sui numeris admonere deberet. Præterea, ex formula traditionis ejusdem, hodie in Ecclesia Latina consueta, colligimus, Pallium insuper significare *plenitudinem Pontificalis Officii* in eo, cui confertur; qui propterea Patriarchæ, vel Archiepiscopi nomen una sortitur. Ex eo vero, quod vi ejusdem formulæ Pontifex in Missarum Solemnis Pallio semper & ubique utatur, Patriarchæ vero & Episcopi intra Ecclesiam suam, & certis tantum diebus, quemadmodum N. 25. notavimus, significatus plenitudinis Pontificalis Officii, quem Pallium secundum se exprimit, restringitur ad indicandam vocationem in partem tantum sollicitudinibus, quæ major sit Episcopali, minor Papali. C. 4. h. T. Est ergo significatus Pallii Cæremónia, seu signum eorum, quorum Palliatus in executione propositi sui tam erga se, quam erga subiectas oviculas, subordinatos Episcopos, ac tandem erga Romanum Pontificem meminisse debet.

PROPOSITIO.

Usus Pallii est Cæremónia Rationabilis.

58. **P**robatur. Illa Cæremónia est rationabilis, quæ nullo vitio ex adductis in notionibus Cæremóniarum laborat; sed usus Pallii nullo ex his vitis laborat: est igitur Cæremónia rationabilis. Minor propositio adtruitur. Signum, quod ordinem, & unionem in Hierarchia Ecclesiastica exprimit, atque illos, qui eo donantur, & utuntur, Officii sui admonet, insuper ad hæc exprimenda, & illud commemorandum aptum, & conveniens est, nec superfluitatem, injustitiam, vel iniquitatem involvit, nullo ex adductis vi-

tiis laborat; sed Pallium, seu usus Pallii est simile signum: nullo proinde ex dictis vitiis laborat. Minor propositio iam operosius stabilienda. Imprimis itaque Pallium apte de corpore B. Petri sumitur, & Candidato per Summum Pontificem vel ejus Delegatum confertur, cum ex ipso negotio unionis Candidati cum Ecclesia Capite, atque subordinationis ejusdem ad illud (quod tunc intenditur) (1) ratio reddi possit, cur Pallium sumatur de corpore B. Petri, & detur à Romano Pontifice potius, quam non, quod est esse Cæremoniam aptam. (N. 48. h. t.) Convenienter etiam ad hoc significandum de corpore B. Petri sumitur, & à R. Pontifice confertur Pallium ex lana, non lino contextum; quia in laneo Pallio continetur ratio, cur significet unionem, & subordinationem inter Pastores Ecclesiæ, quod est esse Cæremoniam convenientem (N. 49. h. t.). Ex eadem ratione ad exprimendum, Papam esse vocatum in plenitudinem Pastoralis Officii, seu ad Regimen totius Ecclesiæ; Patriarchas vero, & Archiepiscopos in partem sollicitudinis, seu ad Regimen particularium Ecclesiarum, apte ille Pallio utitur semper, & ubique in Missarum Solemnibus; hi vero nec semper, nec ubique. Nihil etiam prohibet, quod in Hierarchia Ecclesiastica Episcopi alius dignitate vel jurisdictione eminentiores, quales in Nicæno Concilio indicantur Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus, aliquo signo exteriori ab his discernantur; cum id in qualibet bene ordinata Republica solemne sit: quam discretionem apte, & convenienter per Pallium fieri ex dictis in aprico est. Quæ proinde impugnari nequeunt, nisi negando Primum Petri, & Ordinem Hierarchicum

in Ecclesia, quod huc non pertinet, cum supponatur.

59. Præterea: Pallium, seu etiam usus ejus Cæremonia quam inmaxime conveniens est, ex eo, quod vi materię suæ, & formæ gestantem admoveat eorum, quorum in executione propositi meminisse debet. Audiatur Clemens II. ad Joannem Salernitanum: *In quo Pallio, inquit, quia de vellere Ovis est, intellige te ipsum Pastorem; & quia eo circumcingeris, & etiam circa humeros portas, cognoscat, & undique circumspicias, ne aliqua erret, & in morsus incidat laporum. Quod si aliquando, quod absit, contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare, & pristina societati coadunare. Quod vero & ante, & retro Crux Domini habetur, illud Apostolicum semper docet ante oculos mentis habere: Mibi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

60. Solemnitates etiam, quæ in oblatione Agnorum, Palliique confessione, & benedictione adhibentur, nequaquam irrationabiles sunt; cum per eas dignitati, atque exultationi tanti vestimenti apud Plebem Christianam maxime consulatur. Alias irrideamus etiam, per me licet, solemnitates militares in erectione Vexillorum, &c. Nec superflua hæc omnia sunt, cum Fasti Ecclesiastici nos heu nimis persuadeant, Romanos Pontifices propositi, seu officii sui in universam Ecclesiam, Patriarchas, & Archiepiscopos propositi, seu officii sui erga Romanos Pontifices in obtemperando, erga Suffraganeos in præssendo, erga Dioceces suas in pascendo facile oblivisci posse; proin per Pallium, vel collationem, aut usum ejus horum officiorum rationaliter commendent. Notent igitur Domini Protestantes luber-

(1) Paschalis II. ad Archiepiscopum Panormitanum: *Cum à Sede Apostolica vestra insignia dignitatis exigitis, quæ à Beati Petri tantum corpore assumitur, justum est, ut vos quoque Sedi Apostolicæ subjectionis debite signa solvatis, quæ vos cum B. Petro tanquam membra de membro habere, & Catholici Capituli unitatem servare declarent.*

luberrimas Illustrissimi, & valde Cordati Domini Baronis cautelas in dijudicandis Cæremoniis, & caute imposterum dentem in eas figant. Sed audiatur Molinæus.

Calumniæ Molinæi exploduntur, aliæque nonnullæ difficultates expediuntur.

61. Calumniæ I. Pallii usus est superstitiosus, execratam enim Gentilitatem redolot; solemne namque fuit apud Gentiles, quod vis super mulierem ducendam in uxorem Pallium extenderet, ut innuit Euripides, dum patrem filiam nuptui traditurum sic astat: *Cum sub egregii viri pallium veneris, reliqua studia viro finito.* Hanc autem execratam Gentilitatem imitantur Papistæ, dum Archiepiscopum cum Ecclesia desponsant, sed inverto ordine supra Sponsum Pallium reponunt.

62. Respondeo I. Calumniatori probandum incumbere, Ecclesiam hunc Gentilium ritum sibi imitandum sumpsisse in concessione Pallii; in his quidem, quæ de ipso in præsentii dissertatione adnotavimus, ne vestigium hujus adoptionis appareat.

63. Respondeo II. ex Illustrissimi Baronis Wolf. Philosophiæ practicæ universalis p. 2. §. 470. Molinæum cum aliis plurimis falli, dum sibi persuadeant, recte damnari Cæremonias, ubi ostendi potest, eas à Gentilibus esse desumptas. *Etenim si Gentiles, verba sunt Authoris, alio sine Cæremoniis istas introduxerunt, alio autem easdem receperunt Christiani; modo actus, in quibus consistunt, per se illiciti non sunt, nil est, quod in his reprehendas: nec ratio ista, quod Gentiles iisdem fuerint usi, sufficit, ut easdem damnes; quoniam significatus, qui actui cuidam tribuitur, Cæremoniam facit, actus vero in se spectatus Cæremonia non est: nec dici quidem potest, Christianos uti Cæremoniis, quibus usi Gentiles. Actus communis est, non Cæremonia; consequenter cum is*

minime illicitus sit per hypothesein (& in casu revera), non quod illicitum, sed quod licitum est, Christiani cum Gentilibus commune habent. En hac prima in calumniâ obefam Molinæi de Cæremoniis ideam. Sed non minus pinguis est altera similis, dum ait, usum Pallii ex corruptis, inanibusque Judaicis fontibus emendicatum; legimus enim Booz extendisse Pallium suum super Ruth, quam sibi desponsare intendebat. Ruth 3. v. 9. Esto enim id concederet Somnatori, ex dictis tamen retunditur. Eo vel maxime, quod hæc extensio Pallii tam apud Gentiles, quam Judæos etiam in ratione Cæremoniæ non erat mala; cum significaret protectionem, & curam à viro imposterum mulieri exhibendam. Aliæ autem sunt rationes, cur Pallium Archiepiscopale non imponatur Ecclesiæ, cui desponsatur, sed Archiepiscopo: à nobis abducat, & justificata.

64. Calumniæ II. Inter superstitiosos ritus amandandi sunt hi, qui novitatem sapiunt; Pallii autem usus nuperus est, siquidem de eo agitur in recentioribus monumentis, noviterque excogitate fuerunt ejus significationes, atque à temporibus Innocentii III. Lib. 1. de *Mysteriis Missæ* c. 63. Pallium Sacramentis referunt enuntiat.

65. Minus emuncta de Cæremoniis idea: Est nova: igitur superstitiosa. Lex naturæ dat nobis jus instituendi Cæremonias, quæ ad bene, & recte agendum faciunt, inquit Wolfius loc. cit. §. 503. Lex naturæ dat nobis jus significatum Cæremoniarum pro arbitrio amplificandi, inquit idem §. sequenti. An novus sit usus Pallii? ex hæctenus dictis erui potest. Quod ejus significatus nunc restrictus, nunc amplior fuerit in Ecclesia, arbitrii est instituentium tam in lege naturæ, quam Christi, modo ex aliquo capite vitiosus non sit.

66. Calumniæ III. Per Pallium Romano Pontifici, & non Deo obedientiam jura-

juratur; in eisdem quoque collatione dicitur, quod plenitudo Potestatis Pastoralis confertur, quæ tamen soli Christo convenit; adeoque est ritus Deo & Christo injurius (N. 53. h. t.), hinc tollendus.

67. Tollenda ergo ex mente Molinæ Jumenta Militum, & Vassallorum Regibus, non Deo, præstari solita. Zoile! non tantum Deo, sed etiam terrenis Potestatibus obediendum est; & si effreni libertati in Officio continendæ repagulum Legum impar est, Divini Nominis Religione est coercenda. Hoc nimirum malo, ac necessitate, scribit Paschalis II. ad Archiepiscopum Polonium, *compellimur jumentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere*. Vide N. 76. h. t. Secundum membrum allatæ calumniæ imperitius est primo; supponit enim Ecclesiam Pallio indidisse significatum Potestatis plenitudinis Christi, cum Romani Pontifices Patriarchis & Archiepiscopis ne quidem plenitudinem suæ Potestatis eodem conferre intendant, ut ex dictis patet.

68. Calumnia IV. Pallium est Cæremonia indecora; decet enim Ministrorum Christi ornamentum, quod non præferat humilitatem Christi. Tale autem Pallium est Archiepiscopale. Nam Christo Pallium fuit alba vestis, qua illustris fuit ab Herode; & alia purpurea, qua contumeliose à Pilati Militibus fuit circumdatus: Pallium Archiepiscopale ex perfectissima lana contextum est, sericis Crucibus adornatum.

69. En notionem præclaram Cæremoniæ indecoræ, supra ex Wolfio descriptæ (N. 47. h. t.). Pallium hoc ex perfectissima lana contextum est, & sericis Crucibus adornatum; ergo res indecora. Decora ergo esset Cæremonia; si Pastores Ecclesiæ joculari purpura, vel candido centone contumeliose in sua inauguratione vestirentur: quali vero Christo hæc investitura non fuerit atrocissima injuria irrogata, quæ insuper, ipso mandante, in primarios suos Ministros continua serie pro-

rogari deberet. Qui Ecclesiasticam pompam carnis oculis aspiciunt, dubio procul decipiuntur; nihil enim in illa spiritus mundi, nihil spiritus carnis sibi vendicant, si finis, si circumstantiæ aliquæ præjudiciis oculis contemplantur. Vestitus Aaronis in Exodo descriptus abunde valet ad intemperantium hominum dictæ retundenda. Nolo autem hic justificare excessum quorundam particularium hæc in re; hunc enim non approbat, imo coercet S. Mater Ecclesia. Et hæc quantum ad Molinæum, cujus calumnias non ex fonte, sed fide digno Authore Liberio à Jesu Carmelita Dilcalceato tomo 5. ex posthumis, ubi hanc materiam sua pertractat methodo, excerptimus. Quædam adhuc diluenda supersunt.

70. Objicies V. Pallium, sive visus ejusdem videtur esse cæremonia injusta; hujus enim novæ rei præsidio videtur Synodus VIII. Metropolitans ferreum illud necessitatis vinculum, quo à Papa Pallium petere, activitatem suam ab eodem præstolari quodammodo, eique obedientiam præstare coguntur, imposuisse. Imo Romani Pontifices Metropolitanos Galliæ rei hujus novæ miraculo videntur obitupefisse, quæ initio magnifica, paulatim antiquam eorum libertatem per cuculos infringit, & Synodorum Provincialium auctoritatem pessumdedit: inquit Petrus de Marca L. 6. de Concordia Sacra. & Imperii. c. 6. Idem necessitatis petendi, & obedientiam profertendi jugum per Pallium ipsis Patriarchis à Romanis Pontificibus impositum videtur.

71. Ut ordine procedamus, retundendum est primo allatæ objectionis membrum primum, quod est sententia nonnullorum, quos tacito nomine refert Thomassinus de disciplina Eccl. p. 1. l. 2. cap. 56. N. 8. quod priusquam fiat, adnumero fragmentum Canonis 17. laudatæ Synodi VIII. in quo Adversarii vim ponunt, ex Col. To. X. Concilior. col. 643. sequentis tenoris: *Sancta, & Universalis Nicæna pri-*

prima Synodus (Canone sexto) antiquam consuetudinem jubet servari per Ægyptum, & Provincias, quæ sub ipsa sunt; ita ut horum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens: *Quia & in Romanorum Civitate hujusmodi mos prevaluit: qua pro causa & hæc Magna & Sancta Synodus tam in seniori & nova Roma, quam in Sede Antiochiæ ac Hierosolymorum, præscam consuetudinem docerit in omnibus conservari: ita ut eorum Præsules universorum Metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur, & sive per manus impositionem, sive per Pallii dationem Episcopalis Dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem, videlicet ad convocandum eos, urgente necessitate, ad Synodalem Conventum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, & cum fama eos super quibusdam delictis forsitan accusaverit. Hoc Canone in favorem Adversariorum nil extendi posse, patet. I. quia illo non præcipitur Metropolitanis, ut Pallium postulent; sed tantum ut Patriarchæ Concilio se sistant Metropolitanæ, à quo vel ordinati sunt non sine largitione Pallii, vel missio Pallio confirmati. Ergo nihil novi Juris hic conditur, sed receptæ consuetudini novum robur accedit. II. Idipsum conceptis verbis profertur Synodus, - *præscam consuetudinem decernendo in omnibus conservari*. Si ergo à Concilio Nicæno quarto Seculo Patriarchalis Jurisdictio in Metropolitanos Alexandrino, & Antiocheno Episcopo ad exemplum Romani Pontificis, qua Patriarchæ Occidentis, fuit non data, sed confirmata tanquam antiqua, hoc est, primorum sæculorum consuetudo, id quod solum vult famosus ille 6. Canon hujus Concilii, de Pontificia auctoritate in universalem Ecclesiam nihil disponens, ut suo tempore & loco contra misere illum lacerantes tam nostros, quam heterodoxos, monstrabimus: quare hujus jurisdictionis signum aliquod constitui nequit? Et cur in Ecclesiæ Ca-*

tholicæ Syllimate Romanus Pontifex ex eadem ratione etiam erga Patriarchas hæcæ œconomia uti non potuit, cum ille sit Primas Ecclesiæ? Per quod patet ad tertium membrum.

72. Quod autem sententiam Petri de Marca attinet, ille graviter propterea ab aliis Viris doctis, & cordatis reprehenditur. Falsissimum enim est RR. PP. per usum Pallii Galliarum Metropolitanis libertatem justam abripere voluisse. Nam ut exemplis luculentissimis ostendit Natalis Alexander Historiæ Ecclesiasticæ Sec. IX. & X. c. 5. art. 2. Adrianus I. & ejus tum Antecessores, tum Successores, Pallia Gallicanis Metropolitanis non nisi ad ardentissimas preces Dynastarum, & Regum Galliæ concessere. Et ex N. 15. h. t. constat, Metropolitanos Galliæ unanimitè à Romano Pontifice Zacharia Pallia petisse, & omnes tandem impetrasse, atque Romanæ Sedi obedientiam ad Canones revinctam professos fuisse. An igitur credibile, Galliæ Dynastas, Reges, Imperatores, ipsos Metropolitanos tam obtulisse mentis fuisse, ut posteriores servitutem affectassent, priores cumulatè precibus eandem ipsis impetrassent?

73. Huic resolutioni obstatè videtur, quod ex gestis S. Bonifacii subolfacere liceat, Metropolitanos Galliæ ad petendum à Romano Pontifice Pallium, eique jurandam obedientiam adactos fuisse; cum enim Franci statuisent petere à Zacharia tribus Metropolitanis Rotomagensi, Remensi, & Senonensi Pallia tria, quasi præagirent animo, quibus se induerent laqueis; petitionem distulerunt, idque moleste tulit Pontifex, nec Bonifacius habuit, quo apud eum hæc moras excusaret. Quæ omnia in ejus Epistola ad eundem Pontificem exprimuntur his verbis: *De eo, quod jam præterito tempore de Archiepiscopis, & de Palliis à Romana Sede petendis supra promissa Francorum, Sanctitatis Vestra notum feci, Indulgentiam Sedis Apostolicæ flagito: quia quod promiserant,*

runt, tardantes non impleverunt, & ventilatur, & quid inde perficere velint, ignoratur. Quæ quomodo cum mox dictis cohæreant, non apparet.

74. Huic difficultati satisfaciet N. 17. hujus Tit. ex quo discimus, quam fuerint eo tempore prostrigata res Ecclesiæ Gallicanæ, ob quas Decretum de petendis Palliis à Sede Romana in Synodo ibi citata factum est, quo Metropolitanis jurisdictioni Vicarii Apostolici subducerentur, & Sedi Apostolicæ immediate subicerentur. Et quia, inquit Thomassinus p. 1. lib. 2. c. 55. fortassis tribus enumeratis tantum initio illud postularant; deinde vero fatius existimaverint æquatis omnibus Metropolitanis Pallia ab illa Sede querere, - ex voluntatis hujus mutatione, illa mora orta est, quæ anxios habuit Bonifacium, & Papan. Nec magni momenti censeretur hæc instantia subobscura; cum alia exempla luce meridiana clariora, N. 72. indigitata, eam penitus elidant.

75. Pro coronide opponi potest communis Protestantium opinio: quod nempe Concessio Pallii hodie evaserit in Cæremoniam Simoniacam, eo quod à Sede Romana Archiepiscopi pro numerata pecunia vendatur. Hæc objectio mihi nuper Glacii facta est ab urbis patriæ Proconsule, Viro Juris sane perito, mihi que usque ad aras amicissimo, ex Joannis Fleischeri Protestantis Juris Consulti manu-ductione ad Jus Canonicum Protestantium Magdeburgæ A. 1729. typis teutonice evulgata, ubi Titulo 26. de Pallio Archiepiscoporum §. 6. hæc scribit: Primitus Pallium gratis concedebatur; à banc æconomiam avaritia Pontificum immutavit. Ita quidem, ut tandem pro eodem oporteret solvi mille, post duo milia imperialium, hodie vero illud constat 30000. florenis Rhenanis. Hanc ob causam graves, præsertim in Germania, nata sunt querela. Cum enim morte, sive alia vocatione Archiepiscopi interveniente; ejus Successor Pallio Antecessoris uti

nequeat, sed novum redimere cogatur; factio computa prodiit, in solo Archiepiscopatu Moguntino paucorum annorum curriculo hujusmodi Pallii redemptionem 175000. florenis Rhenanos constituisse. Citatque Goldastum tomo II. Constit. Imperial. pag. 120. Sekendorffium Hist. Luth. lib. 2. sect. 7. §. addit. lit. a.

76. Huic objectioni, quæ Sedi Apostolicæ manifestam calumniam infert, dum Pallium ab illa Archiepiscopi vendi supponit, efficaciter occurrit Clarissimus D. Gasparus Barthel, &c. SS. Theol. & U. J. Doctor, Reverendissimi & Celsissimi Episcopi & Principis Heribipolensis Consiliarius intimus, &c. in suis *Vindiciis Pallii Heribipolensis*, Heribipoli 24. Augusti Anno 1753. editis cap. ult. à N. 15. ad finem: quorum tenorem, cum melius aliquid ex propria penu adferre nequeam, hæc trancribo.

77. Tandem Ecclesia Respublica quidem sacra est, visibilis tamen & exterior; non inter spiritus, sed inter homines hæc in terra constituta: unde, quamvis Sacra hæc Respublica mediis præcipue sacris & spiritualibus, atque ad fines spirituales dirigatur; subsidiis tamen etiam temporalibus carere non potest. Et cum Ecclesiæ Ministri, Antilibites, & ipse Summus Pontifex ex hominibus assumpti sint, humanis sine mediis nequam subsistere possunt, de quibus ipse Christus iisdem provisum voluit, juxta illud Evangelii, Lucæ 10. v. 7. *Dignus est operarius mercede sua*. Et in eo Paulus Apostolus totus est, ut hæc temporalia Ministri Ecclesiæ subsidia præstandi necessitatem inculcet, maxime 1. Corint. 9. vers. 13. Ibi: *Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt? & qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? &c.* Hinc sicut in Republica Profana ejusmodi tributa publica ejusdem basis & nervus sunt, & pro suprema cura Principibus pendi debent; ita in Republica

Sacra, quamvis hæc temporalia media nervus rerum gerendarum principalis non sint; tamen veluti accessorium subsidium neutiquam excluduntur, & sic Principibus quoque Ecclesiæ propter curam spirituales negari non debent.

78. Atteno equidem principio pariter ex oraculo Christi prodito: *Gratis accepistis, gratis date*: Matth. 10. v. 8. in capit. cum in Ecclesiæ 9. de Simonia, dicitur horribile nimirum esse, quod in Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut pro Episcopis, & Abbatibus, seu quibuscumque Personis Ecclesiasticis ponendis in Sedem, sive introducendis Presbyteris in Ecclesiam, nec non & pro Sepulturis & Exequiis mortuorum, & benedictionibus Nubentium, seu aliis Sacramentis aliquid requiratur. Verum in Capit. *Ad Apostolicam audientiam* 42. eod. tit. circa has eadem exactiones præcipitur pias observari consuetudines, & easdem ex fermento hæreticæ pravitatis sub prætextu Canonice Petatis per Laicos nonnullos infringi, vetatur. Unde colligitur, quod circa has temporales præstationes in Ecclesiæ, quatenus sub diversa facie, & diversis obtutibus spectantur, diversum sit judicium. Non dispari ratione Annatarum exactio diversa ratione, & variis obtutibus spectata, Simoniæ damnabatur, & ab omni Simoniæ suspicione immunis judicabatur: damnabatur ut Simonia, cum nondum exploratum erat; eas vero, reali, & legitimo subventionis, sive subsidii titulo à Romano Pontifice exigunt, & eidem solvi, sed vel pro electionum sacrarum confirmatione, aut propter aliorum ministeriorum spiritualium collationem; à vitio Simoniæ vero libere judicabatur, & etiamnum judicantur, si exigenter, ac solverentur, uti exiguntur solvunturque modo, & ab annis retro pluribus exactæ sunt & solutæ, vero titulo subventionis, accedente præsertim, & ab omni specie Simoniæ liberante Ecclesiæ, Imperatoris, Regum, & Principum Imperii tam Ecclesiasticorum,

quam Secularium in Concordatis publicis expresso consensu.

79. Simile judicium olim formabatur de ita vulgo & absolute hodie dicta Pallii redemptione; & ex eo, quod Summi Pontifices persuasum fibi habuerint, Sedis Apostolicæ favores pretio vendendos non esse, gravissimæ Simoniæ deputabant temporale aliquid emolumentum pro insigniori Sacræ, & Pontificæ Dignitatis Ornamento per se, vel per suos Ministros recipere, ut ipse Gregorius Magnus testatur in epistola 55. ad Joannem Corinthiorum Episcopum data, & relata Can. Novit. distinct. 100. & Can. *Sicut Episcopum* l. q. 2. *Antiquam Patrum Regulam sequens*, inquit, *nihil unquam de Ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione Pallii*. Idemque judicium & huic conformem praxin perduasse etiamnum Romæ An. 744. patet ex responsione Zachariæ Papæ ad Sanctum Bonifacium data, ubi idem Pontifex protestatur, nullam se pecuniam nequam exegisse pro Pallii concessione, neque etiam pro chartis confirmationis, & veluti Simoniæ abhorruisse, pretium aliquod recipere ratione Pallii in epist. 143. Quod idem fere reperit paulo post in eadem epistola, ostendendo, quantum à Simoniæ hæresi sit alienus, quantumque ei displicere falsus rumor per Provincias contra Romanam Ecclesiam dispersus. Quare cum illo tempore hæc datio rerum temporalium appareret veluti venditio rerum spiritualium, & tanquam injuria ipsi rebus spiritualibus, quæ pretio distrahi existimabantur, illata, quamvis de se, & sub alio respectu Legi Divinæ, & naturalis adversa non foret; jure merito exiit prohibita, eo quod suspecta, scandalosa, & piorum ac pusillorum etiam oculorum tunc temporis fuerit offensiva, ut ab omni mali specie abstineretur.

80. Verumtamen aliud quoque, uti de Annatis, ita de præstationibus Pallii modo formatum judicium, cum sub alia facie & obtutu diverso res hæc aspicitur;

& compertum est, quod hæ præstationes non veluti pretia & merces Sacræ Investituræ, quæ per concessionem Pallii de Sacra Dignitate tribuitur, exigantur & solvantur; sed eodem vero & reali titulo subventionis vel subsidii propter supremam curam univêrsæ Ecclesiæ Summo Pontifici incumbentem, nec non pro sustentatione necessariorum Officialium, propter commune eidem Summo Pontifici præstandum consilium & operam, pendi soleant. Proinde ex dicto Christi oraculo, *Gratis accepistis, gratis date*, utique omnis venalitas, sive mercatura Ministeriorum Sacrorum, & eorum, quæ illuc pertinent, prohibita esse dignoscitur; & sic venalitas sacrarum functionum in dicto cap. 9. de Simonia Episcopis, & Parochis recte quidem reperitur inhibita: juxta alteram tamen Sacræ Scripturæ effatum, *Qui servit Altari, vivat de Altari*, occasione harum functionum ex vero sustentationis vel subsidii titulo easdem moderate exigere & recipere, tanquam pia & laudabilis consuetudo perhibetur, & servanda omnino præcipitur. Aliud nimirum est vivere de Altari, aliud de Altari quæstum & mercimonium facere. Sane sicut Sacerdotibus justitiæ in Tribunalibus hæc quidem venalis esse nequit, non tamen ideoque usus sportularum semper illicitus & prohibitus est; ita quoque in Ecclesia ejusdem Ministris & Auxiliis venalitas ministeriorum & functionum spiritualium, aliorumque, quæ eo pertinent, veluti iniqua & simoniaca vetita, & damnata est: præstationes tamen, quæ eisdem vero titulo sustentationis aut subventionis debite penduntur, ideo eo minus iniquæ sunt, quod per has ad ecclesiastica ministeria via non præcludatur dignioribus, aperiaturque minus dignis, uti nec per sportulas judiciales Judicis indifferentia & impartialitas tollitur, ob cuius tollendæ periculum acceptio pretii & munerum potissime prohibetur.

81. Quæstus equidem, abusus, & ex-

cessus Administrorum vitio (ut fert humana conditio, maxime in amplissimis Curis & in tanta Officialium multitudine) in ejusmodi concessionum & gratiarum Apostolicarum indulgentia & literarum expeditione irrepisse, & rursus repullulasse, etiam in materia Pallii, & ulterius succrescere posse non negatur; sed hæc in Summorum Pontificum invidiam detorqueri non debent: eosdem enim vero ejusmodi abusibus, quantum humanitas fieri potuit & potest, præcavendis nunquam non intentos fuisse, & fore, ex tot veterum Pontificum Literis & Successorum Constitutionibus superabunde liquet. Gravissimas desuper editas ordinationes à Martino V. Eugenio IV. aliisque Romanis Pontificibus à Quinterno Cancellariæ extractas & impressas, reperire est apud Ciambin. de origine abbreviat. pag. 9. & pluribus sequentibus: quæ omnia à Joanne XXII. ejusque Successoribus Nicolao V. Innocentio VIII. aliisque jam antea statuta, vel postea confirmata, Regulis Cancellariæ inserta sunt, ex quibus Regula LXVII. continet sequentia: *Item idem Dominus noster exactionibus, quas Sanctitas Sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per Officiales Romana Curia, qui constituitis sibi emolumentis pro exercitio officiorum, quæ obtinent, non contenti, ultra à prosequentibus negotiorum quorundam expeditionem in eadem Curia exigere non verentur, obviare volens; districte præcipiendo inhibuit omnibus, & singulis quævis Officia in eadem Curia obtinentibus, ne de cetero quidquam prætextu Officiorum, quæ obtinent, quovis colore, etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta hujusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, quæ eis incumbunt, malitiose differre, sub excommunicationis, &, præter illam, suspensionis à percæptione emolumentorum hujusmodi pro prima ad semestre, & pro secunda ad annum, & pro tertia vicibus, quibus sic*

exce-

excederent, privationis Officiorum per eos obtentorum, in quibus sic exceßerint, panis. Ac voluit, quod S. R. E. Vice-Cancellarius, & Camerarius, excedentes ipsos respective, prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eorundem, ac alias, ut præfertur, compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, ac contra eos per prædictas panas, & alias, prout melius expedire viderint, procedant.

82. Porro sicut hæc burfales præstationes & Cancellariæ taxæ in concessione Pallii ex vero suo & à Summis Pontificibus intento titulo nullam Simoniacam referunt mercaturam, ita neque æquos moderationis terminos excedunt, sed veluti tot temporum & communi Nationum Catholicarum praxi probate in moderationis jultæ sunt possessione; nec illa viginti quinque millia pro Pallii redemptione, quæ passim pro ora non bene sentientium nec recte loquentium volitant, calamifque expressa frequenter notantur, non concessionem Pallii solitariam, sed Annatis conjunctam, & quidem nonnisi in uno alterove potentiori Archiepiscopatu, important. Cæterum, referente & testante Wagnereck de Exeges. §. 4. Annatæ, quæ unius dumtaxat ac primi anni fructus sunt, se habent, ut unum ad quinque; proin nec fructus integri unius anni, neque dimidia, sed horum solummodo pars juxta modo dictam moderatam Camerariæ Apostolicæ taxam de Archi- & Episcopatibus Germaniæ solvenda est; nihil memorando, quod in Concordatis Germaniæ, si taxa hæc pro qualitate circumstantiarum excessiva judicetur, retaxatio per Commissarios in partibus oblata & promissa sit, & quod de reliquis inferioribus Dignitatibus, quæ Conistoriales non sunt, cæterisque itidem Canonice & Beneficiis nullæ in Germania solvantur Annatæ.

83. Cæteroqui ea, quæ in Novellis de excessivæ taxæ solutione pro concessione

Pallii Herbipolenfis malevole sparfa sunt, apertæ repugnant veritati; cum pro expeditione literarum juris perpetui Pallium gestandi, & Crucem Archiepiscopalem præferri faciendi; item actualis ejusdem Pallii concessionis aliisque expensis necessariis summa secundum computos debite subscriptos & subsignatos ultra sexcenta scuta monetæ Romanæ non excurrerit; porro, uti certa fides habetur, pro erectione novi Episcopatus Fuldenfis nullum Annatarum auctuarium supervenerit.

84. Demum Sedi Apostolicæ successu temporis præbitas esse ingentium sumptuum occasiones & aucta onera, univêrsalis itidem Ecclesiæ necessitatibus Pontifices consulere debere pro viribus, ætatio vacuo id non posse, satis constat; proinde consuetum annatarum & taxæ Pallii subsidium, cujus solutio iis interdum vel in totum, vel in partem condonatur, qui ob merita in Ecclesiâ, vel ad Episcopatus belli aut temporum injuria in bonis suis imminutos promoventur, superfluum reapse non est Pontificibus, qui in Ecclesiæ necessitatem & utilitatem bona & reditus ejusmodi impendunt, sive ad Ecclesiæ ejusdem defensionem adversus Infideles; sive ad subveniendum Christianis & Catholicis Regibus, cum ex factionibus A Catholicorum, aut quorumvis perdaellium conjurationibus eorum Majestatis & Regna in discrimine versantur; sive ad destinandos, fovendosque Predicatores & Missionarios in terris Infidelium ad fines Ecclesiæ propagandos; sive ad Neophytorum & fidei caudæ exulum subsidia; sive ad pauperum levandam inopiam, aliasque publicas & pias causas: quorum exempla in Summis Pontificibus tam antiqua, quam recentiora palam extant, & à moderno Summo Pontifice Benedicto XIV. gloriosissime regnante exæquantur, imo superantur; utpote qui modum quidem domesticis sumptibus, charitati vero & liberalitati circa usus publicos, pios, & Ecclesiæ salutare ponere laudatissime nullum

novit, & hactenus confuevit. Eidem suus in Urbe Romana quondam discipulus, qui in temporis angustia præsentem de Pallio tractatum conscripsit, præsentem à Deo ex germano corde precatur Regiminis cursum ad multos annos.

TITULUS IX.

De Renunciacione.

1. **R**enunciatio est spontanea Beneficii Ecclesiastici dimissio, facta coram legitimo Superiore eam acceptante. De tribus ejusdem speciebus notas historicas dabimus; nempe, de renunciacione sive resignacione simplici, de facta in favorem tertii, & de facta causa permutationis.

2. Ex his Renunciacionis speciebus multis Ecclesiæ Sæculis nota tantum & practicata fuit resignatio simplex.

Nulla enim de resignacionibus conditionatis, quales hic describuntur, in monumentis ecclesiasticis primorum sæculorum occurrunt vestigia. Si enim quandoque Antistites designarent Successores, vel sibi deligerent Coadjutores; hæ non erant resignaciones in favorem tertii, vel causa permutationis, ut modo in usu sunt. Cuique de resignacione causa permutationis nulla occurrit mentio apud Iidorum, Burcardum, Ivonem, & apud novissimum Gratianum Sæculo XII. Canones colligentem, & de resignacione in favorem tertii, neque in Decretalibus Gregorii IX. Sæculo XIII. editis; recte Boetius Epo priores Sæculo XI. & Franciscus de Roye posteriores Sæculo XIII. necdum in usu fuisse colligunt, quamvis utrarumque fundamenta illis Sæculis iacta fuerint.

3. Sæculo XI. & XII. Resignaciones, quæ prioribus Sæculis rariores erant, vehementer multiplicari cœperunt.

Incontinentia & simonia sedus torrentis,

Hæc velim probe expendant Domini Protestantes, sibi que impolterum caveant, ne simile quid temere contra hujusmodi Disciplinæ Catholicæ capita in ventum scribant, unde ab oculatoribus rideantur.

qui deplorandis illis temporibus Ecclesiæ agrum inundavit (tit. 6. N. 64. &c.), dolendam necessitatem infixit, vimque attulit Pontificibus, ut novam hanc siverent illabi disciplinam, qua nisi innoxorabili necessitate exunderetur, disciplinæ potius relaxatio, & corruptela videri possit: inquit Thomassinus p. 2. lib. 1. c. 50. ne enim Ecclesiæ pleræque ea tempestate Pastoribus orbata squaleret, neve cauterio severiori cicatrix domus Dei exulceraretur; zelum suum in Concubinariorum, & Simoniacorum tum Episcopos, tum alios Clericos (quos, nisi his delicatis circumstantiis obstitentibus, juxta rigorem Canonum Beneficii prorsus privari oportuisset) Romani Pontifices ita moderati sunt: ut eos Beneficia resignare quidem cogerent, sed post penitentiam præstatam pristinis Dignitatibus postliminio restituerent. Sic sub Victore II. in Concilio Lugdunensi A. 1055. quadraginta quinque Episcopi, & viginti septem Prælati abdicarunt sese Dignitatibus, quas turpissime nundinati fuerant, teste Baronio ad A. C. 1049. quamvis Petrus Damiani tantum 6. enumeret, qui pene omnes, etsi depositione digni, ob rationem tamen insinuatam Sedibus suis restituti sunt. Dirum quoque Schisma, quod contra Gregorium VII. consilavit Henricus IV. Investituræ item Laicorum multiplicandis resignacionibus occasionem præbuere; nam & Schismati,

tici, & ita investiti ad frugem redeuntes, sub eodem Pontifice, & ejus Successoribus hæc miti œconomia tractati sunt, ut sponte ac libere suis Ecclesiis renuntiarent in manus Pontificum vel Episcoporum, & ab iis postliminio restituerentur. Nec simulate, aut theatrales erant hæc Episcopatum in manus Pontificis resignaciones ad culpas sive per simoniam, sive concubinatum, sive investituram commissas eluendas, ut male affecti suspicari possent; cum post talem resignacionem liberum fuerit Pontificibus Beneficium abdicatum resignanti vel alteri conferre, renuntiantesque ex animi præparatione illa abdicarent, quemadmodum exemplo Othonis Episcopi Bambergensis, & S. Thomæ Cantuariensis liquet, & Canone 2. Concilii Romani sub Urbano II. A. C. 1099. celebrato rel. cap. *Si aliejus de elect. de ignoreret simoniam electo ediciter, quod post liberam resignacionem Episcopus cum illo possit dispensare; quamvis hæc pia Romanorum Pontificum indulgentia longa sui continuatione in legem tandem convalesceret, ut resignans resignato restitueretur Beneficio, necessitate acerba hic postulante, ut validius allicerentur Simoniaci Beneficarii ad provisiones canonicas sibi comparandas. De quibus omnibus vide Concilia sub his Pontificibus contra concubinatum, simoniam, & investituram labem habita, ex quibus hæc illorum œconomia plene iustificatur. Canonem 11. mox laudati Concilii sub Urbano II. hic solum adnumero: *Quamvis misericordie inimitu, magnaue necessitate cogente, hanc in Sacris Ordinibus dispensacionem constituerimus; nullum tamen præjudicium Sacris Canonibus fieri volumus, sed obtineant proprium robur, & cessante necessitate illud quoque cesset, quod factum est pro necessitate. Ubi enim multorum strages jacet, subtrahendum est aliquid severitati, ut addatur amplius charitati. S. Aug.**

4. Eadem incontinentiæ ac simoniæ labes, illis Sæculis immaniter serpens,

viam stravit resignacionibus in favorem tertii.

Ex ea enim tanquam ex fecunda matre nascebatur Beneficiorum pluralitas; etenim cum simonia impune grassaretur, quisque sibi emebat Beneficia, quotquot volebat; & cum Clerici nonnulli essent concubinarij, familiæ alendæ necessitate hæc Beneficiorum congeriem, Laicorum investitientium, & Sacros Canones flocci habentium, præsertim sulti autoritate, excusabant, omnibus ex rigore Canonum spoliandi; sed cum hunc rigorem non ferret deploranda illorum temporum conditio, non poterat promptior parari medicina, quam ut tales Pape vel Episcopo Beneficia resignarent: qui tanto faciliores se præstabant ad ea illis conferenda, quos resignantes designassent; quanto certiores erant, eam esse expeditissimam rationem perficiendi, ut resignarent, idque onus excuterent, quo alioquin ad æternæ damnationis barathrum præcipites agerentur. Hinc cum Abbas, cui dux erat Abbatia, alteram S. Remigij Rhemense resignare voluisset, scripsit Gregorius VII. ad Archiepiscopum Rhemensem, ut resignacionem admitteret, Abbatiamque resignatam ei conferret, quem resignans indignitasset, lib. 1. Ep. 53. Et eo tempore ceperunt Episcopi resignaciones Laicorum, qui Parochiales Ecclesias invaserant, ea condicione, quasi in favorem admittere, ut Monasteris conferrentur. Cumque in simplicibus resignacionibus sapissime contingeret, ut resignantis voluntas intima & occulta spe non fraudaretur; irrepsit tandem mos exprimentæ hujus voluntatis, tanquam conditionis necessaria.

5. Sæculi XVI. initio resignaciones in favorem tertii & non alias frequentari cœperunt, earumque usus ad nostra usque tempora perductus est.

Prima pars inde patet, quod illo tempore hæc clausula *in favorem, & non alias, nec aliter* in procuratoria irrepere cœperunt: quæ res in Gallia quæstionem excitavit,